Smolinski Joannis: Gratulatio virtute, eruditione morumque praestantia excellenti viro Joanni Boncovio.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0004735


V
B J
C

GRATVLATIO,


Virtute, eruditione, morumq; præstantia, excellenti viro, D. IOANNI BONICOVIO,

Magisterij, & Philosophiæ Doctoratus insignia, in Alma Academia Cracouiensi feliciter accipienti.

A

IOANNE SMOLINSKI, Almæ Academiæ Cracouiensis studioso conscripta.

Anno à Christo nato 1605. die 7. Martij.





CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Andreæ Petricouij.

Gratulatio.

MVſarum, Craciaq́; lux, JOANNES
BONCOVI, ſoboles diſerta Phœbi,
Cum dulces, faueant, Iouis ſorores
Permultùm tibi: rurſus ac feraris
e Afflatu, in titulos nouos honorum
(u. ſtans: gaudeo, gratulorq́; multum;
Verum eſt, ardua quod petis, cupisq́;
Virtus aggreditur niſi; ſed alta,
Æternumq́; decus, paratur arte:
Fac, ſis magno animo, laborq́; durus,
Non te terreat: en benigna vultum,
Oſtentat tibi, Pallas è propinquo,
Quod veri comites tibi fuiſſent;
Et pax, & pietas, laborq́; magnus,
Viciſti: caput en tuum, recingit
Bis lauro viridi, ſagax Apollo.
Et quæ, mente tua, fuit repulſa
Nonnumquam inſcitia hæc, dabit ruinam
Extremam, faciet gradum nec vltra;
Sic bina, ex ſtudijs refers trophæa.

DIALOGISMVS.

Poëta.

EST locus vmbriferis, cinctus cũ vertice, ſyluis,
Nympharum, liquido flumine, flore ſacer.
Innumeris ſpirant diſtinctæ floribus herbæ,
Circum Pegaſeis vndiq; notus aquis.
In medio Muſæ ſpatiantur, & Augur Apollo,
Diſtribuens ſtudijs præmia digna pijs.
BONCOVIO ingenij properãti hûc fortibus auſis
Mox datur aurigeris, laurea prima comis.
Hic tamen Aonidûm maiori incenſus amore,
Fert ardens celeres culmina ad alta gradus.
Threiciæ quem fors Citharæ pulſator Apollo
Aſpiciens, Nymphis, fert ea verba, ſuis.

Apollo Quis nouus eſt cultor, qui nunc mea tecta ſubin-
Clio Cuſtos Aſcræi, Duxq;, Parenſq; chori, (trat?
Noſtrorum cùm ſit tibi cura accepta laborum,
Oro pauca tuis, auribus accipias.
Apollo Dia ſoror? multis quid opus tibi iuſta petenti?
Fare age; quid dubitas? gratia præſtò tibi.
Clio Victrici genitor præcingas tempora lauro,
Atq; triumphali laude ſub aſtra feras.
Thalia Nam præſtans iuuenis cũ primis cultor ab annis,
Ingreſſus campum, noſtraq; caſtra fuit.

Diuitias

Polym Diuitias vtriusq; studet conquirere linguæ,
Attica siue tuas; siue Latina tuas,
Callio-pe. Semper & arguta, flectebat carmina, voce
Otia, non blandi, aut hunc tenuere, ioci.
Melpo Hic obscura sophûm relegens theoremata, pul-
Omnia seruabat sedulus, ingenio. (chro,
Vran: Sunt & opes Sophiæ, est illi ingeniosa Mathesis,
Quam iuueni ardenti discere; ludus erat.
Clio Dignus, cui cingat Parnassia tempora laurus;
Sit pretium duri, Phœbe, laboris honos.
Apollo Accipe susceptûm solatia digna laborum,
Accipe de studijs, bina trophæa, tuis.
Poeta Viue diu, tantosq; tibi grateris honores,
Cætera cùm pereant, non periturus honos.

EIDEM
EPIGRAMMA.

VTere sorte tua, dum tecta secunda subintras,
Musarum fœlix, vtere sorte tua.
Vtere sorte tua, passus tot, Palladis almæ,
In castris æstus vtere sorte tua.
Vtere sorte tua, toties dum præmia celsis
Verticibus portas, vtere sorte tua.

Utere ſorte tua, dum effringens caſtra Mineruæ
Ornaris ſpoliis, vtere ſorte tua.
Utere ſorte tua, præcelſi culmina montis
Aonij ſcandens, vtere ſorte tua.
Utere ſorte tua, tibi tempora pulchra coronat
Dum laurus viridans, vtere ſorte tua.
Utere ſorte tua, duros tolerando labores,
Bis ſacra victor adis, bis quoq; cinctus abis.
Laudes te maneant igitur per ſæcla, perennes,
Ac tua perpetuo fama tenenda die.

EIDEM EMBLEMA.

Rex ſuperū Phrygij quondam Ganimedis amore
Arſit:

IVppiter omnipotens, venturi prouidus æui,
Qui regit ætherei, culmina celſa poli.
Incenſus quondam pueri Ganimedis amore,
Præ ſpecie pulchra, fertili & ingenio.
Nec mihi diſsimilis tua nunc ſors eſſe videtur,
Cùm te nata Iouis, cingit honore ſuo.
Captus erat, iuuenis formoſo Iuppiter ore,
At Pallas vigili, capta labore tuo.

Hunc

Hunc præpes fuluus, Diuûmq́; hominumq́; pa-
Armiger, ad solium pertulit æthereum. (rẽtis
Et fecit Diuûm Citreis, accumbere mensis,
Nectaris & magno, pocula ferre, Deo.
Te chorus Aonius recreat; tu Palladis amplis
Muneribus gaudens, digna trophæa geris.
Egregiũq; sophi celebrant virtute Magistrum,
Nonné tuus maior, quam Ganimedis honos?

APOSTROPHE
ad eundem.

FVlua metalla ferant alij prædiuitis auri,
Non tamẽ hi maius carmine munus habent.
Ergo det alter opes, incultum do tibi carmen,
Non vates maius, quod dare poßit habet.
Veræ carmen opes; nam cætera, carmina præter,
Fortuna instabili, datq́; rapitq́; manu.
Carmine, magnanimus bellis, nunc viuit, Achilles,
Thyrsigena, & semper carmine viuus erit.
Accipias igitur placido mea carmina vultu,
Parua nec ingenij munera sperne mei.

FINIS.


BIBLIOTH. UNIV.
JAGELLONICAE